

De

*Philosophia Electiva priscis modernisq;
culturibus.*

I.

Quod si quem approbantium iauthoritas commovere magis, quam rationum pondus & argumentorum evidētia possit, ei sanè, sive priscorum exempla & suffragia exosculetur, sive recentiorum sequi consilia & statuta malit, utroq; nomine se commendabit Electiva Philosophandi ratio. Quamvis enim Introdūctorem hujus plerique laudent *Potamonem Alexandrinum*, qui Cæsaris Augusti Tiberiique temporibus floruit, quemq; posteà secuti sunt, *Sotion* Senecæ Præceptor, *Ammonius* Plutarchi Magister, aliiq; plurimi; indubium tamen est ipsa sectarum antiquissimarum Capita eandem si non professos, secutos tamen jam olim fuisse. De *Pythagora* certè prolixè ostendit Eruditissimus Vossius de Philos. Sectis cap. VI. eum Philosophiæ suæ partem unam Thracibus, aliam Ægyptiis sacerdotibus, ac nominatim Sonchidi Ægyptio Archipropheṭæ, ut eum nominat Clemens Alex. in 1. Strom. partem etiam Persarum Magis & Chaldaeis, nonnullam quoque Judæis, aliquam denique Græcis, imprimis Pherecydi Syrio, debere. *Democritus* in *Philosophia* πύριθλο habitus, ut ait Laërtius, præter Ægyptios, Chaldaeos, ac Persarum Magos, etiam Indorum Gymnosophistas, amore Philosophiæ, adiit, teste Ælian. Lib. IV. var. Histor: atomos autem & inane spatum infinitum à Leucippo accepit. Ex Platone quoque nobis allegat laudatus antè Vossius Cap. XXI. loca compluria, quæ, ne actum ageremus, huc transcribere noluimus, id confilii, quod Potamon postea apertiùs est professus, apprimè suggerentia.

D 3

II. Ipsum